

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Dominica XIII. post trinit.

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

## DOMINICA XIII. POST TRINIT.

Evangelium Luc. 10. v. 23. -- 37.

## EXORDIUM.

**E**X utraque parte propitiatorii, o-  
lim steterunt duo Cherubim, qui  
aliois illud operierunt, & se mu-  
tuo, versis vultibus in propitiato-  
rium respexerunt, Exod. 25. v. 17. 20.

Christus verum propitiatorium est,  
quem proposuit nobis Deus, per fidem in  
sanguine ipsius, Rom. 3. v. 25. ut nunc cum  
fiduciâ adire ad thronum gratiæ possimus,  
& gratiam invenire, in auxilium opportu-  
num, Hebr. 4. v. ult.

Quemadmodum igitur Cherubim, in  
utroque latere propitiatorii steterunt, &  
versis vultibus in illud respexerunt, sed alio  
operierunt illud, ne plenè inspicere possent:  
Sic Christus scopus & centrum totius  
Scripturæ est. De eo scripsit Moses, Joh.  
1. v. 14. illi omnes Prophetæ testimonium  
perhibent, Act. 10. v. 43. illum omnia sacri-  
ficia & typi præfiguravit, Hebr. 10. v. 1.  
Verùm in V. T. alio Cherubim opertus &  
obumbratus fuit, quò minus eâ claritate  
conspici potuerit, ut postea in N. T. factum  
est, & in dies adhuc fit, ab omnibus illis, qui  
verâ fide ipsum apprehendunt. Videmus  
gloriam ejus, gloriam, quasi unigeniti à Pa-  
tre, plenum gratiæ & veritatis, Joh. 1. v. 14.  
velamen ablatum est, 2. Cor. 3. v. 16. umbra  
cessat, Hebr. 10. v. 9. Nunc amplius nul-  
la irrationalia sacrificia habemus, sed sacri-  
ficiam, quod Deo offerimus, est rationalis  
cultus, Rom. 12. v. 1. Non indigemus quo-  
que sanguine taurorum & hircorum, quò

Judæi ad emundationem carnis opus ha-  
bebant, Hebr. 9. v. 13. sed sanguis Jesu  
Christi, Filius Dei, emundat nos ab omni  
peccato, 1. Joh. 1. v. 8.

Conformitas vero utrinque in eo con-  
sistit, quòd videmus in collatione utrius-  
que, quomodo novum in veteri lateat, &  
vetus in novo pateat, quo ipso in fide no-  
strâ valdè confirmamur. Jesus Christus  
enim heri & hodie, & idem etiam in secula,  
Hebr. 13. v. 8. hoc qui credit, signat, quòd  
Deus verax est, Joh. 3. v. 33.

Interea hoc discrimen manet, de quo  
Christus in prælecta Pericope: Beati oculi,  
qui vident, quæ vos videtis. Dico enim  
vobis, quòd multi Prophetæ & Reges vo-  
luerunt videre, quæ vos videtis, & non vi-  
derunt: & audire, quæ auditis, & non au-  
dierunt: siquidem N. T. diei, vetus verò  
nocti confertur, Rom. 13. v. 12. Sicut igitur  
nox timorem & pavorem, Psal. 91. v. 5.  
dies verò lætitiâ affert omnibus creatu-  
ris: nam dulce lumen, & delectabile est  
oculis videre Solem, Eccles. 11. v. 7. Ita in  
V. T. nil nisi timor & pavor erat. Lex siqui-  
dem iram operatur, Rom. 4. v. 15. at Evan-  
gelium per Apostolos in toto orbe dilata-  
tum, lætificat corda, Psal. 19. v. 8.

Nos instituti nostri memores videbi-  
mus

I. Triplicem Querelam.

II. Triplicem Medelam.

III. Triplicem Cautelam.

fff

Exe-

J. J.  
Exegesis.

Sapientissimus Regum Salomo, meminit generationis, quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à fordibus suis, Prov. 30. v. 12. Ejusmodi generatio sive potius degeneratio proponitur nobis in prælecto Evangelio, in Scribâ de quo Evangelista memorat, quod surrexerit, tentaturus Jesum: Verùm ita illi obviat, ut suo ipsius gladio jugulatus abire coactus fuerit, ut mox audiemus.

Querela respicit

I. *Propriam justificationem.* Scriba hic se ipsum justificatum ibat, dicens: Quis est proximus meus? Hoc vitium nobis omnibus innatum est, ut nefas nostrum non agnoscamus, sed illud excusamus & palliamus, quantum fieri potest: Sicut Adam & Eva consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata, Gen. 3. v. 7.

Sic Cain seipsum justificaturus, dicebat: Nunquid custos fratris mei sum ego? Gen. 4. v. 9. Nec non Saul cum Agago Amalekitarum Regi, & melioribus ovibus & armentis pepercisset, sub prætextu, ut immolarentur Domino Deo, putabat se excusandum, 1. Sam. 15. v. 15.

Adhuc hodiè hypocritæ blandiuntur sibi in oculis suis, ut inveniunt iniquitatem aliorum ad odium, Psal. 36. v. 3. nemo non extenuat, nemo non excusat peccatum suum. Omnia vitia tanquam virtutes venditantur: & licet flagitia in propatulo sint, nec rariò reprehendantur: tamen mulier adultera, quæ comedit, tergens os suum dicit: Non sum operata malum, Prov. 30. v. 20.

Quis quæso pro peccato habet, si nomen Dei sanctissimum in vanum adhibeat? Exod. 20. v. 7.

Quorū inveniuntur, qui scortationem & adulterium pro oblectamento saltem habent? Nunquid caput canis ego sum, dicunt, quod arguas me pro muliere, 2. Sam. 3. v. 8. licet Paulus expressè scribat: Nullum fornicatorem neque adulterum partem habiturum in Regno Christi & Dei, Eph. 5. v. 5. 6.

Sic inter ebrietatem & ebriositatem adeò subtiliter distinguunt, velut inter infernum & purgatorium, cum tamen confessiones inter opera carnis referantur, Gal. 5. v. 21.

Sic omnia peccata damnationis reos constituunt, quæ tamen à plurimis pro peccatis non habentur. Verùm quid Augustinus ait? *Minuta etiam peccata, si negligantur, occidunt.*

Nulla proinde peccata vilipendamus, ut nos ipsos justificemus, si fortè in aliis majora peccata conspiciamus, quàm in nobis: Sed parvorum æque magnam rationem habeamus, ut majorum. Qui enim magna patrarunt, facilius ea deprehendunt, & ita citius ad pœnitentiam peringent: Quia verò nonnulla ut parva extenuamus, hinc fit, ut de illis non doleamus, nobiscum in sepulchrum, imò ad tribunal Christi ea afferamus, & sic in iisdem damnemur. Judicium enim extremum adeò rigorosum erit, ut justus vix salvetur: quomodo igitur impius & peccator parebunt? 1. Petr. 4. v. 18.

II. *Communem depradationem.* Hic audimus, hunc hominem, cujus Christus hic

hic mentionem injicit, ab Hierufalem descendisse in Hiericho: Iter hoc non adeo spatiosum erat, vix duorum milliaram cum dimidio, & tamen indemois evadere nequit; sed incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis, abierunt, semivivo relicto.

Ingens hæc miseria fuit: miser enim hic homuncio, non modò omnia quæ secum habuit, amisit: sed & veste & indulsio exutus fuit. Despoliaverunt enim eum; sic latrocinium exercuerunt: & ad necem usque, plagis impositis vulnerarunt; sic homicidii rei evaserunt.

Tales latrones & homicidæ nullis temporibus defuerunt, qui insidiis suis viatores circumvenerunt, & spoliatos trucidarunt, ut multa exempla adduci possent, si opus foret.

Maximè verò hoc factum, durante bello, ubi milites in sylvis & vepretis viatores expectarunt, eosque non solùm despoliarunt: sed & fustibus & gladiis plagas & vulnera infixarunt, nec rarò peremerunt, quoniam gladius inimici pavor in circuitu, Jer. 6. v. 25.

Quamvis itaque Dei gratiâ, per universalem pacis constitutionem, in dilectâ Germania nostra incendia & vastationes petierunt, Psal. 80. v. 17. attamen alibi latrocinia ejusmodi, ubi sedes belli est, liberè exercentur: imprimis in mari, ubi seclè nulla navis tuta est, ut ita commercia non parum impediuntur. Verùm quid ait Scriptura? Rapaces Regnum Dei non hæc edibunt, 1. Cor. 6. v. 10.

III. *Raram commiserationem.* Sic Sacerdotem atque Levitam præterite audimus,

nemo illorum spoliati, & ad necem vulnerati cura tangitur.

Hic nobis describitur *immiserordia Divitum & Potentum*, qui prellis atque egenis optimum auxilium ferre possent, attamen sine ope & solatio eos relinquunt, & sæpè plus mæroris, quàm levamenti eis inferunt. Verùm Deus id non impunè linquet, hinc Siracides cap. 4. v. 1. seqq.

Veri Christiani fugiant hoc vitium, & commiserationi erga proximum student, si malis immerfus est. Quod enim proximo accidit, id tibi quoque evenire potest, Eccles. 11. v. 2. Sir. 18. v. 25.

Quando igitur proximum miseriam laborare vides, noli idèò exultare: Laquei peribunt, qui oblectantur casu justorum: dolor autem consumet illos, antequam moriantur, Sir. 27. vers. 32. sed commiseratione cordiali in eum affectus recorde humanæ inconstantia. *Speres tibi accidere posse, quod alteri accidit, ita demùm excitaberis ad opem ferendam, ait Lactantius.*

Apelles fortunam pingens quærebatur: cur sedentem eam pinxisset? & respondebat: quia nescit stare, quo volubilitatem & inconstantiam ejus indicabat.

Irus is est subitò, qui modò Cræsus erat.

Hinc legimus de Sesostru Rege Ægyptiorum, quod curru ex auro lapidibusque preciosis constructo vehi solitus sit, qui à quatuor Regibus à se victis trahebatur. Cumque unus ex Regibus, sæpè respiciens, rotam quæolvebatur contemplaretur,

fff 2

per-

percunctatus est Sefostris, cur ita respiceret? Intuens rotæ volubilitatem, inquit ille, in quâ summa citò fiunt ima, cogito fortunæ instabilitatem, aliàs excelsa humiliantem, aliàs humiliata exaltantem. Sefostris parabolam intelligens, noluit currum à Regibus postea trahi. Id quilibet probè observet. Eadem quippè mensurâ, qua mensus fuerit, remetietur & illi, Luc. 6. v. 38.

### De Secundo.

**S**equitur *Medela*, quæ fluit

I. *Ex novi Testamenti felicitate*: de quâ Servator ad Discipulos: Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, quod multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt: & audire, quæ auditis, & non audierunt.

Patres enim V. T. umbram tantummodò habuerunt futurorum bonorum, idèò imaginem rerum ipsam desiderarunt, Hebr. 10. v. 1. præterea sub Levitico Sacerdotio variis oneribus ita constricti & onerati fuerunt, ut jugum illud neque illi neque patres eorum ferre potuerint, Act. 15. v. 9. ideoque liberari auebant, à jugo oneris, & sceptro exactoris, Esa. 9. v. 4. & adventum Messiæ anhelabant, Joh. 8. v. 57. de quo Prophetæ prædixerant, quod locutus sit pacem gentibus, Zach. 9. v. 10. & annum placabilem Domino prædicaturus, Esa. 61. v. 2. ut qui invocaverit nomen Domini salvus foret, Joel. 2. v. ult.

Evangelium enim lætium nuntium est, non verò de rebus terrenis & carnalibus, quibus aures afficiuntur, ut nuntium de nativitate Jeremiæ, c. 20. v. 14. de interitu

Absolonis, 2. Sam. 18. v. 31. & fugâ Syrorum, 2. Reg. 7. v. 9. ejusmodi Evangelium appellatur. Sed ex hac ratione, quia nobis remissionem peccatorum annunciat, quam Christus merito suo nobis acquisivit, Col. 1. v. 14.

Quicumque proindè verbum prædicatum de hoc vitæ Duce auribus obsequentibus excipit, & juxta oculos suis sigilla apposita, quæ Sacramenta sunt, inspicit: fiduciam quoque ponit in Messia, ejusque perfecta obedientiâ, is nobilitatus Regni Dei hæres est, licet corâ mundo Iro pauperior esset. Contra verò qui oculis ejusmodi videntibus & auribus audientibus destituitur, illi Deus ignis consumens manet, licet oculis lynceis, & auribus cervinis præditus sit, & in omni rerum abundantia vivat. *Qui Christum habet, omnia habet, etiamsi nihil habeat: qui verò Christum non habet, nihil habet, etiamsi omnia possideat.* Bernhardus, Phil. 4. v. 13.

II. *Ex Samaritani benignitate*: qui iter faciens, & miserum hunc videns in sanguine suo jacentem, misericordiâ ejus motus est. Et appropinquans alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum. Deinde imponens illum in jumentum suum, duxit in diversorium, & curam ejus egit. Quin & hospiti eum commendavit, ut curam ejus haberet, quòd mox restitueretur.

Hic Samaritanus imago Christi est, qui formosissimus filiorum hominum dicitur, Psal. 45. v. 3. Nos miseri in sanguine nostro inquinati eramus, Ezech. 16. v. 16. ab infernalibus latronibus ad eò scedè lacerati: à planta pedis usque ad verticem, non esset integrum quiddam, Esa. 1. 6. hinc nemo nos juvare poterat, Sacerdos

& Le-

& Levita præteribant, h. e. Moses cum lege sua nos sanare non quibat: nulla enim lex est, quæ possit vivificare, Gal. 3. v. 21. Sed Christus tanquam cœlestis Samaritanus, gratosè nos respexit, & peccatorum vulnera, quæ Diabolus infixerat, obligavit & sanavit. Hinc Esa. 53. v. 4. seqq. Id hodie tenus facit. Licet enim cœlum adscenderit, attamen Ministris suis, verbi Præconibus potestatem dedit, peccata remittendi & retinendi, Joh. 20. v. 23. Quandoque igitur pœnitens peccator locum Confessionis accedit, & animum suum dolentem coram Deo & Ministro ejus contestatur, & Confessionarius amice ipsi respondens ait: Confide filia, confide filia, remittuntur tibi peccata tua, Matth. 9. v. 2. hoc ipso exultant ossa contrita, Psal. 51. v. 10. Hinc Christus: Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta in cœlo: & quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, Matth. 18. v. 18.

Hoc ejusmodi beneficium est, quod dignè nunquam prædicare possumus, Sed caveamus, ne impetratâ remissione peccatorum, in pristina peccata relabamur, verùm ut novæ creaturæ, 2. Cor. 5. v. 18. in novitate vitæ ambulemus, Rom. 6. v. 4.

III. *Ex visionis Christi in futura vitâ jucunditate.* Hic audimus, Servatorem discipulos suos beatos deprædicare, quia eum videbant corporaliter in assumptâ servi forma, in qua de loco ad locum migravit. Quantò beatiores nos erimus in vita æterna, ubi Dominum videbimus à facie ad faciem, 1. Cor. 13. v. 2. non per breve temporis intervallum, sed in æternum.

Jam nos quoque Christum videmus

spiritualiter in verbo & Sacramentis, quin & gustamus, quàm bonus sit Dominus, Psal. 34. v. 9. sed fit quasi in ænigmate, ut Paulus loquitur, 1. Cor. 13. v. 12. ambulamus enim hîc per fidem non per speciem, 2. Corinth. 5. v. 7. at in vita æterna similes ipsi erimus, visuri eum sicuti est, 1. Joh. 3. v. 2.

Quanta hæc lætitia & beatitudo futura sit, cogitationibus non assequi, nedum verbis exprimere possumus. Per hunc enim intuitum omnia bona, quæ Christus nobis peperit, ad nos derivabuntur, ut in eò inveniamus vitam & abundantiam, Johan. 10. v. 11.

Quando Regem in throno suo sedentem, & Purpuratis stipatum videmus, magnam hoc voluptatem gignit, unde Regina Arabia beatos prædicat servos Salomonis quotidie ipsi adstantes, 1. Reg. 10. v. 8. Quanta major voluptas erit, quando Ducem vitæ, Act. 3. v. 14. Dominum gloriæ, 1. Cor. 2. v. 8. imò Regem Regum spectabimus in Majestate & gloria sua, cinctum Corona Patriarcharum & Prophetarum, Apostolorum & Martyrum, nec non Angelorum & Archangelorum, Cherubinatorum & Seraphinorum: qui omnes suspiciunt gloriam illam infinitam, ad quam Christus evectus est, & altâ voce clamant: Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra, Psal. 8. v. 1.

Nicephorus scribit, Christum facie ad eò venusta fuisse, ut neminem ejus conspiciendi fatietas ceperit, sicut formosissimus filiorum hominum dicitur, Psal. 45. v. 3. Licet igitur ipsum non videamus in hâc vita, sicut Apostoli & alii: attamen eum

*Dominica XIII. post Trinitatis.*

414

contemplabimur in alterâ vitâ, quando Angeli nos ei obviam ferent in aëre, dicentes: Ecce, Deus vester, Esa. 40. v. 9. quin Christus ipse dicet: Videte me, quia ego ipse sum, Luc. 24. v. 39. Hi oculi mei sunt, quibus laborem & afflictionem vestram vidi, Psal. 10. v. 13. Hæ aures, quibus preces vestras exaudi, Psal. 34. v. 16. Hæ facies mea, quam propter vos à contumeliis & conspuentibus in me, non abscondidi, Esa. 50. v. 6. Hoc latus meum, quod ex amore erga vos transfodiendum præbui, ut aqua & sanguis, vita & salus emanarint, Joh. 19. v. 35. hæ manus, quibus vos de manu inferni redemi, & de morte liberavi, Ol. 13. v. 14. hæ pedes, quibus caput serpentis contrivi, Gen. 3. v. 15. O amabilem & jucundissimum adspectum!

Sicut igitur Augustini mater Monica concionem de vita æternâ audiens præ desiderio ejus exclamavit: Quid hic facio? Evolemus hinc, evolemus hinc!

Quidni & nos desiderio Messæ nostri intuendi exclamemus: Quid hinc facimus? Evolemus hinc, ex valle miseriarum in gaudium cœleste, ubi non solum eum clarè intuebimur: sed & sedebimus in throno ejus, sicut ipse in throno cum Patre ejus sedet, Apoc. 3. v. 21.

*De Tertio.*

**R**estat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regalis, ut sunt

1. *Vitam æternam desidera.* Id facit Legis peritus: etiamsi enim Christum tentat, at tamen quæstio ejus minimè improbanda videtur: nos potius ad exemplum ejus similiter quæramus: Quid faciendo vitam æternam possidebimus?

Hæc quæstio maximè utilis & necessaria Christiano homini est. Non enim hic civitatem habemus permanentem, sed futuram inquirimus, Hebr. 13. v. 14. πολιτειαν nostrum in cœlis est, Phil. 3. v. 20. hinc ejus desiderio flagrant, quæ sursum sunt, ubi Christus est, quæramus, Col. 3. v. 1. Nam mundus transit & concupiscentia ejus, qui verò facit voluntatem Dei, manet in æternum, 1. Joh. 2. v. 17.

Inveniuntur multi, qui de vita æternâ non multùm solliciti sunt, sed in his mundi delitiis vitam transigunt, cum Epicureis dicentes: Ecce, gaudium & læticia occidere vitulos &c. Esa. 22. v. 13. Verùm ò vanissimum gaudium! Dilatavit enim infernus animam suam, & aperuit os suum, absque ullo termino: ut potentes isti ad bibendum vinum, & fortes ad miscendam ebrietatem descendant, Esa. 5. v. 14. Ideò ne inescemur hoc gaudio, quo Diabolus nos à verò gaudiò avertere, & in latam viam, quæ ad perditionem ducit perducere satagit, Matth. 7. v. 13.

De Macarto refertur, quod aliquando in animum induxerit, diebus novem continuis nil memorare, nil cogitare, quàm de vita æternâ, idè in casulam se inclusit, ne à quopiam in devotione perturbaretur. Id Dæmon infernalis ferre non potuit, idè accensa casulâ, cum ille vix biduum sic transegisset, devotionem ejus impedidit. Idem adhuc agit malignus ille, quando homines ad crapulam & ebrietatem, luxum & lasciviam, aliasque mundi vanitates impellit, ut cœli ejusque gloriæ oblivione illi capiantur. Ideò summa cautione hic opus est. Ubi thesaurus vester, ait Servator, ibi & cor vestrum, Matth. 16. 21.

qui-

quicumque igitur in hoc seculo thesaurum suum habet, obrizo dicens: fiducia mea, Job. 31. v. 24. ille cor suum eò dirigit, ut divitiis cor apponat, Psal. 62. v. 11. ut terrena sapiat, Phil. 3. v. 19. hi filii hujus seculi sunt, quorum pars est in vita, Psal. 17. v. 14. nihil ulterius expectantes, Psal. 49. v. 18. qui verò thesaurum suum in cælo habet, is despecto mundo cum Assaph dicit: Quid mihi est in cælo? & à te quid volui super terram? Psal. 73. v. 25.

Et quidni vitæ æternæ desiderio flagratemus? Siquidem corona est, propter quam certamus, 2. Tim. 4. v. 8. bravium ad quod currimus, 1. Cor. 9. v. 24. & finis fidei, quem omnes intendimus, 1. Petr. 1. v. 9.

Servus desiderat umbram, & mercenarius præstolatur finem operis sui, Job. 7. v. 2. quanto magis nos desideremus vitam æternam, ubi Sabbathum ex Sabbatho celebrabimus, Esa. 66. v. 23. & requiem animarum inveniemus, Matth. 11. v. 29.

Esuriens expetit epulas: quidni nos vitam æternam? ubi comedentes saturabimur, & bibentes inebriabimur, Esa. 65. v. 13.

Sponsa sponsi desiderio afficitur. Quidni nos nuptias agni desideremus? Apoc. 19. v. 7. ubi vox resonabit: Ecce sponsus venit! ibi enim nos in cælestem patriam introducet, ut cum eo semper simus, 1. Thess. 4. v. ult.

Qui hæreditatem consequitur, propter eam exultat, & sæpè longum iter ejus acquirendæ causa conficit. Vita æterna & ipsa hæreditas est, ut Legisperito hic vocatur: non verò vulgaris, sed incorruptibilis, & incontaminata, & immarcescibilis, conservata in cælis, 1. Pet. 1. v. 4. Quanto ma-

gis nos ejus cupiditate ardeamus, ubi hæreditabimus domum speciosam Dei Patris, Joh. 14. v. 2. & ejusmodi thesauros, quos ærugo & tinea non demolitur, nec fures effodiunt, & furantur, Matth. 6. v. 19.

Viator gaudet, quando iter suum absolvit, ut in Jacobo videndum, qui Deo altare fecit, quod socius fuerat itineris ejus, Gen. 35. v. 3. Multò magis nos in peregrinatione ærumnosæ hujus vitæ lætemur, proposita nobis cælesti Hierosolyma, ubi pleno ore insonabimus: Convertere in requiem tuam anima mea, quia Dominus benefecit tibi, Psal. 116. v. 7. Ibi bonum erit habitare, Matth. 17. v. 4. Psal. 84. v. 7. seqq.

II. *Summam legis pondera.* Id vult prælectum Evangelium. Quia enim Legisperitus quærit: Magister, quid facièdo vitam æternam possidebo? Christus quærit ex eo: In Lege quid scriptum est? quomodo legis? cumque ille respondisset: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c. hoc ejus responsum approbat Servator, inquiens: Rectè respondisti, hoc fac, & vives. Dilectio enim Dei & proximi, est impletio legis, Rom. 13. v. 10.

Requiritur ergò a nobis

1. *Dilectio Dei.* Ut enim ipse est summum bonum, inò omnia in omnibus, 1. Cor. 15. v. 28. ita ab omnibus creaturis diligi vult, ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus, & ex tota mente, ut Legisperitus respòdet, ex Deut. 6. 5. ubi intelligitur

1. *Totalitas subjectiva.* Finis enim præcepti est caritas, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, 1. Tim. 1. v. 5.

2. *Totalitas objectiva,* ut solus DEUS diligatur. Exterminandus igitur est amor mundi & sui ipsius; nam si quis mun-

mundum diligit, non est caritas Patris in eo, 1. Joh. 2. v. 15.

3. *Totalitas superlativa.* Amorem hominum dixit mors, & amicos separat, Ruth. 1. v. 17. vetum amorem Dei tollere nequit, Certus sum, ait Paulus, quod neque mors neque vita &c. Rom. 8. v. 38.

2. *Dilectio proximi.* Diliges proximum tuum, sicut teipsum, ait Legis peritus ex Levit. 19. v. 38. Christus ita effert: Omnia, quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, eadem & vos facite illis, Matth. 7. v. 12.

Notandum hic, quod *dilectio gradus suos habeat*, qui merito observandi sunt. Ut igitur amor à seipso incipit: ita semper unus nobis propinquior est altero. Iccirco æquum est, ut consanguinei præ alienigenis, domestici fidei præ heterodoxis, & pii præ impiis diligantur, & alantur. Deinde etiam peregrinis, ignotis, imò & inimicis benefaciendum est, ut Christus docet, Matth. 5. v. 43. Sed & videndum ne præpostera dilectio sit. Quæ enim caritas, si verbi præco publicis flagitiis conniveret? & Magistratus maleficos impunitos dimitteret? Idèd hinc discrimen observandum inter personam & vitia personæ: hæc odio habenda, illa diligenda est, ut Augustinus docet. Vide Psalm. 139. v. 21. 22.

III. *Parabolam tibi applica.* Quòd Christus collineat, in fine Evangelii dicens: Vade tu, & fac similiter. Quia enim Legis peritus ipse confitebatur, quod is proximus fuisset ei, qui in latrones inciderat, qui misericordiam in illum fecisset, ubi ex adverso Sacerdos & Levita præterissent: monet eum Servator, ut exemplum hinc

caperet, nec modò verbis dilectionem Dei & proximi jactaret, sed & reipsa probaret. Fides enim, si non habeat opera, mortua est in semetipsa, Jac. 2. v. 17.

Samaritanus commiseratione motus est ergà vulneratum: Ita & nos compatiētes, fratrum amantes, & misericordes simus, 1. Petr. 3. v. 8. Misericordes enim misericordiam consequentur, Matth. 5. v. 7. Judicium autem sine misericordia erit illis, qui non fecerint misericordiam, Jac. 2. v. 13.

Samaritanus vulnerato reipsa præstò fuit, & vulnera ejus obligavit: sic non sufficit compatiētem esse ergà proximum: sed & manus auxiliaria ipsi porrigenda est. Jac. 2. v. 15. Hic iterum observes: Vade & fac similiter. Deus enim unicuique proximum suum commendavit, Sir. 17. v. 12. Qui igitur parèd seminari, parèd & meret, 2. Cor. 9. v. 6.

Samaritanus non modò vulnera infirmi obligavit, sed duxit quoque eum in diversorium, & egrediens protulit duos denarios, & dedit hospiti, ut ejus curam haberet: Ita & nos sumptibus non parcamus ratione proximi, si miseria ejus id requirat. Rursus hic observa: Vade & fac similiter. Mutuò dat Domino, qui miseretur pauperis, & mercedem suam reddet ei, Prov. 19. v. 17.

Ita, Vos mei! Christianismum nostrum opere probemus. Nam Gregorio dicente: *quantum credimus, tantum diligimus.* Et ut candela splendorem & radios de se spargit: ita & nos lucem fidei ostendamus coram hominibus, ut videant opera nostra bona, & glorificent Patrem, qui in cælis est, Matth.

Matth. 5. v. 16. Erut bona arbor semper fructus bonos facit, Matth. 7. v. 17. sic & nos fructus fidei producamus, ut sunt: caritas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, Gal. 5. v. 22. quin ut granum sinapis, minimum quidem est omnibus seminibus: cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, & fit arbor, ita, ut vo-

lucres cœli vetiant, & habitent in ramis ejus, Matth. 13. v. 32. Ita & nos in fide crescamus, ut abundemus magis, 1. Theff. 4. v. 10. ita finem fidei nostræ reportabimus, salutem animarum, 1. Petr. 1. v. 9.

Hanc concedat nobis ex gratiâ Deus cœlestis Pater, per JESUM Christum in Spiritu sancto! Amen.

## DOMINICA XIV. POST TRINIT.

*Evangelium Luc. 17. v. 11. -- 19.*

### EXORDIUM.

**P**Ræcepit olim Deus Israelitis decimas dare & de frugibus, & de pomis arborum, ut & de bobus & ovibus, ad sustentationem Sacerdotum & Levitarum, quia illi hæreditatem non habebant, Levit. 27. v. 30.

Vetus hæc consuetudo fuit, quæ jam tempore Abrahami viguit, qui Melchisedec, Regi Salem, qui & Sacerdos Dei altissimi erat, decimas dedit ex omnibus, Gen. 14. v. 20.

Quod verò tum voluntariè factum, id postea Deus Israelitis præcepit, ut gratitudinem eorundem probaret, utrum divitem ejus benedictionem agnoscere, & ex illa micas quasi, decimam nempe partem ad cultum suum haud invitè elargituri essent. Hoc si præstabant, eò copiosius illi benedicebantur, Ex quo cœperunt offerri primitiæ in domo Domini: comedimus & saturati sumus, & remanserunt plurima, ait Azarias, Sacerdos primus, de stirpe Sadoc, 2. Paral. 31. v. 10. Si verò non faciebant, sed

varias fraudes machinabantur, retinentes optimum, pessimum autem Sacerdoti offerebant, gravissima pœna afficiebantur. Nam maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & tamen votum faciens, immolat debile Domino: quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, & nomen meum tremendum est in gentibus, Mal 1. v. ult.

In prælecta Pericope audimus, quod Servator noster etiam decimas accipiat ex decem leprosis, quos omnes mundatos sanitati restituerat: sed unus saltem grato animo revertitur, dans gloriam Deo, cujus gratia à molestâ lepræ contagio liberatus erat. Hæc merces persolvitur Domino! & quamvis quærit: Novem autem ubi: nemo tamen accedit, sed omnes declinaverunt simul, inutiles facti sunt, Psal. 14. v. 3. sicut adhuc hodiè hypocritarum plures, quam verè credentium in Ecclesia Dei reperiuntur, juxta illud: Multi vocati, pauci verò electi, Matth. 22. v. 14.

ggg

Nos